

## De præcessionis æquinoctij uerni, &amp; obliqui= tatis supputatione. Cap. XII.



Vandocunq; igitur locum æquinoctij uerni capere uoluerimus, si ab assumpto principio ad datū tem-  
pus anni fuerint inæquales, quales Romanorū sunt  
quibus uulgo utimur, eos in annos æquales siue Ä-  
gyptios digeremus. Neq; enim alijs in calculatione motuum  
equalium utemur quam Ägyptijs annis, propter causam quam  
diximus. Ipsum uero numerum annorum, quatenus sexagen-  
tio maior fuerit, in sexagenas distribuemus, quibus sexagenis,  
dum tabulas motuū ingressi fuerimus, primū locū in motibus  
occurentem tanquam supernumerarium tunc præteribimus,  
& à secundo incipientes loco graduum, sexagenas si que fuerint  
cum cæteris gradibus & scrupulis quæ sequuntur accipiemus.  
Deinde cum reliquis annis secundo introitu, & à primo loco ut  
iacent capiemus sexagenas, gradus, & scrupula occurrentia. Si-  
militer in diebus faciemus, & in sexagenis dierum, quibus cum  
æquales motus per tabulas dierum & scrupulorum adiungere  
uoluerimus. Quamuis hoc loco scrupula dierum nō iniuria co-  
temneretur, siue etiam dies ipsi ob i storum motuū tarditatem,  
cum in diario motu non nisi de tertij secundisue scrupulis aga-  
tur. Hæc igitur omnia cum aggregauerimus cum sua radice, ad  
dendo singula singulis iuxta species suas, reiectisq; sex graduū  
sexagenis si excreuerint, habebimus ad tempus propositum lo-  
cum medium æquinoctij uerni, quo primam stellam Arietis an-  
tecedit, siue ipsius stellæ æquinoctium sequentis. Eodem modo  
& anomaliam capiemus. Cum ipsa autem anomalia simplici in  
tabula diuersitatis ultimo loco posita scrupula proportionum  
inueniemus, quæ seruabimus ad partem. Deinde cum anom-  
alia duplicata in tertio ordine eiusdem tabulæ inueniemus pro-  
sthaphæresim, id est gradus & scrup. quibus uerus motus dif-  
fert à medio, ipsamq; prosthaphæresim, si anomalia duplex fue-  
rit minor semicirculo, subtrahemus à medio motu. Sin autem se-  
micirculū excederit, plus habens c. lxxx, gradibus, addemus  
iplam